
UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 00269018 8

EXPOSITIO

PHILOSOPHIAE SCHLEIERMACHERI DIALECTICAE.

DISSERTATIO

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIEDERICIANA HALENSI

CUM

VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

VENIAM DOCENDI RITE

IMPETRANDAM

DIE IX MENSIS MAJI A. MDCCCXLIII HORA X

PALAM DEFENDET

G. WEISSENBORN

PHILOS. DOCTOR.

HALIS,

TYPIS RUFFIANIS.

AMICO

FAMILIARISSIMO DILECTISSIMO

SAMUELI NEUENHAUS

FIDO VERBI DIVINI MINISTRO

HOCCE INTIMAE AMICITIAE COMMUNIUMQUE STUDIORUM PIGNUS

D. D. D.

AUCTOR.

Dialecticam eam dicentes disciplinam, quae de cogitatione agat, a veritate quidem non aberramus, sed tam longis eam includimus finibus, ut quae distincta sit ejus natura, quaeque singularis indoles, nullo modo pateat. Quum cogitationum triplex sit genus, accuratius definiendum id est, in quo dialectica versatur. Primum tales inveniuntur cogitationes, quae tantum abest, ut in semet ipsis habeant finem, ut prorsus alterius causa adsint. Ea vero, quorum causa adsunt, facta esse sive actiones rectissime dixeris, quibus externa nostrique ea, quae extra cogitationem sita sunt, mutamus aliasque ut ad nos rationes habeant efficimus. In quo cogitationum genere ii maxime versantur, quorum vita negotiis obeundis intenta est *). Alterum cogitationum genus id est quod arti-

*) Schleiermacherus hanc cogitationem appellat. „Das geschäftige Denken." Cf. D. p. 569. 2.

ficis esse brevissime haud falso statueris *). Artificis cogitatio non alterius rei sed sua ipsius causa adest. Cujus cogitationis natura haec est, ut jucunditatem voluptatemque ex se ipsa capiat modo majorem modo minorem. Quo majorem autem in se habet voluptatem, eo magis id appetit, ut in communicationem abeat, fiatque externa. Quamvis vero haec cogitatio sui ipsius finis sit, quem ne tum quidem excedit, quum se manifestans externa fit, nullo tamen modo a singulo quoque sejungenda est. Quod quidem, qua ratione accuratius sit intelligendum, tertio cogitationum genere, quas philosophicas optime dixeris, assumpto, clarius elucebit. Cogitatio philosophica cum ea, quae proxime antecedit, hoc habet commune, ut non alterius, sed sua ipsius causa adsit **). Sed haec cogitatio e sua natura atque notione universalis dicenda est, ita ut a singulo quoque non proferatur, nisi ex se ipso excesserit communionemque cum aliorum cogitationibus inierit. Non igitur, sicut in superiore illa vidimus, singuli cujusdam haec est cogitatio, sed re vera omnium. Cogitandi autem actio, quae eo spectat, ut tales proferat cogitationes, quae omnium communes ideoque immutabiles sint, ad scientiam directa est. Cogitationem igitur philosophicam scientiae causa adesse ***), rectissime contenderis.

*) Cf. D. p. 569. 2.

**) Cf. p. 570.

***) „Es ist aber um des Wissens willen nicht in dem Sinne, als „ob das Wissen ein anderes wäre, sondern weil alles reine „Denken selbst Wissen werden will.“ p. 571.

Triplici igitur cogitationum genere, quo omnis cogitatio continetur, exposito, eam, in qua dialectica versatur, accuratius jam ita indicare possumus, ut in mera philosophica eam versari statuamus. Unde sequitur, ut ad eos solos spectet dialectica, qui scientiam appetant, vel scire velint.

Cogitationes sine lingua existere atque adesse non possunt. Haec enim illarum quasi elementum est. Linguae autem haec est natura, ut in sermonem et colloquium abeat. Unde fit, ut unicuique cogitationum generi proprius conveniat sermo et peculiare quoddam colloquium *). Sermones et eorum, qui in primo, et eorum, qui in altero cogitationum genere versantur, missos facientes, philosophicos accuratius contemplemur.

Sermones philosophici sunt ii, qui id petunt, ut cogitationes proferant prorsus universales omniumque communes. Id quod omnes sermones philosophicos antegrediatur necesse est, controversiam vel dubitationem rectissime dixeris **). Haec autem controversia duplex esse potest, et unius et complurium. Singulus quidam secum disputabit, si in cogitando impeditum se cognorit, studebitque, ut, repugnantiis remotis, secum consentiat. Complures disputabunt, si dissenserint idque appetent, ut dissensione sublata de uno conveniant. Controversiis nondum ortis, fieri nullo modo potest, ut dialectica oriatur; abest enim, in qua

*) Cf. p. 571, 3.
**) Cf. p. 574.

versetur, cogitatio philosophica, quae lite et dubitatione nondum antegressa existere nequit. At lite et dubitatione exorta, nihilominus fieri potest, ut non oriatur. Quid est, quod, quominus oriatur, impediat? Est, ut uno absolvam, Scepticismus *). Is enim controversiam litemque tolli posse negat, differentias a natura datas consensionemque alterius cum altero casui subjectam esse opinans. Tantum igitur abest, ut Scepticismus dialecticam proferre possit, ut haec ab eo, qui illi oppositus est, Dogmatismo solo proferatur. Dogmatismus enim controversiam non solum tolli posse, sed etiam tolli debere statuit.

Quibus breviter disputatis, dialecticae notionem accuratius adumbrare atque definire possumus. Est enim ea disciplina, quae rationes formulasque et summas et unicuique controversiae accommodatas in se continet, quibus disputantium lites dirimi sciendique cupidorum controversiae verissime componi possint **).

Quum variae sint linguae et diversae, et ita quidem diversae ut multarum cogitationum diversitas nullo modo tolli possit, sequitur, ut dialectica ab iis solis condi possit atque institui, qui unius linguae socii sunt ***),

Sed ne unius quidem linguae socii dialecticam ab uno institutam omnibus numeris probabunt, quum fieri non

---

*) Cf. p. 575.

**) Cf. p. 575.

***) Cf. p. 579.

possit, ut illa auctoris proprietate prorsus sit liberata. Quo autem magis, qui dialecticam componet, e sua proprietate excesserit, eo magis aliorum consensio ipsi continget. *)

Omnes sermones philosophicos controversiam antegredi debere diximus, disputandique hoc esse consilium statuimus, ut cogitationes ab omnibus comprobatae proferantur. Conditio jam adjungenda est, sub qua sola controversia tolli possit. Haec autem cogitationis ad existentiam relatio est. **) Philosophantium controversia nullo alio modo tolli potest nisi ita, ut unum adsit, quod ab omnibus acceptum approbatumque est. Quod tamen quum cogitationes secum repugnent, in ipsis cogitationibus non quaerendum est. Quaerendum in existentia est, quare ab omnibus ea agnoscatur necesse est. Ut sine controversia dialectica esse nequit, ita neque esse potest sine cogitationis ad existentiam relatione.

Dialectica, quum in cogitatione philosophica, quae eadem scientia est, versetur, hujus cogitationis origo et initium accuratius investigandum esse videtur. Cogitatio philosophica, priusquam sua et simplicitate et integritate a singulis prolata sit, cum cogitatione, quae dicitur, vulgari commixta atque conjuncta est. ***)

*) Cf. p. 584.

**) Cf. p. 584 §. 3.

***) Cf. p. 589 §. 4.

Ut omnino cogitandi actio unicuique data est, ejusque nullo modo ab hominis voluntate pendet possessio, nullisque probari potest argumentis, quum nullam ejus status habeamus notitiam, quo nondum cogitabamus, nec conscientiam nostri adepti eramus, ita cogitatio philosophica sive scientia inter reliquas invenitur, neque aliud agendum est, nisi ut ipsius conscii fiamus peculiaremque ejus naturam cognoscamus.

Duplex jam repetendum accuratiusque cum Schleiermachero explicandum est momentum, quo a vulgari cogitatione cogitatio philosophica sive scientia discrepet.

Primum quidem ea tantum cogitandi actio eadem scientia est, quae id sibi persuasum habet, ut ab omnibus, quibus cogitandi data est facultas, non solum eadem ratione ac via, sed eodem etiam exitu proferatur et in lucem edatur. *) Qua quamquam persuasione scientia carere non potest, inde tamen non sequitur, ut omnis persuasio jam sit scientia. Persuasio indolem, quae dicitur, subjectivam habere potest semperque habet in iis rationibus, quas quasi leges singulus quisque sequendas observandasque sibi imposuit. In illa scientiae definitione summam Schleiermacherus vim in eo ponit, ut sit scientia eadem ratione ac via ab omnibus effecta, non satis esse statuens, consentire omnes in eo, quem mea exitum habeat cogitatio.

---

*) Cf. §. 87, §. 88, §. 89.

Tum vero ea tantum cogitandi actio sciendi quoque nomine est appellanda, quae non mera est cogitatio, sed existentiae simul respondet. Duplex eorum, quae existunt, genus Schleiermacherus distinguit, alterum extra nos, alterum in nobis positum ponendumque. Genus extra nos positum id est, unde affectiones, ex quibus, si animadvertimus, perceptiones oriuntur, sensibus nostris contingunt. Genus intra nos positum voluntatis motus amplectitur. Quibuscum si cogitatio nostra convenit, tum scimus, quid velimus. Haec duo eorum quae existunt genera, eodem modo omnia, quae cogitari possunt, involvunt et continent, quo illa scientiae genera omnia ea amplectuntur, quae scientiae nomine verissime appellari possunt. Utrique igitur existentiae generi scientia nostra respondeat necesse est. Quae existentiae genera diversa illa quidem, sed non ita diversa atque contraria sunt, ut se invicem prorsus excludant nulloque modo alterum alterius particeps sit. Discrimen, quod inter utrumque genus intercedit, quantitativum non qualitativum est, ut brevissimis hisce vocibus uti mihi liceat. Ea quae quantitatis rationem inter se habent, ita se excludunt, ut unitatis conjunctione non careant, imo ex hac ipsa potius procedant. Exclusorum alterum id majus in se continet, quod alterum minus. Aliter se res habet, si discrimen, ut dicitur, qualitativum est. Ea quae e qualitatis ratione sibi opposita sunt, omnem remotam habent unitatem. Neque ex uno egressa sunt, neque in unum redire possunt,

---

*) Cf. p. 94.

nisi ita, ut se invicem tollant atque extinguant. Habes igitur in perceptione majorem partem existentiae externae, quod reale, in voluntate majorem partem internae existentiae, quod ideale dicit Schleiermacherus.

At, quod utrumque ad scientiae notionem pertinere modo diximus, non ita eam constituit atque efficit, ut altero carere alterum possit. Imo potius alterum cum altero conjungendum est, neque admittendum, ut illi hoc, huic illud desit. Si igitur aliquid ita cogitasti, sicut re vera est, habes tum in cogitandi actione veritatem. Nondum vero scis scientiamque adeptus es, si ea abest persuasio, qua omnibus idem cogitandum esse statuas. Et si fieri posset, ut in una cogitandi actione omnes convenirent, neque ea consentiret cum rebus externis, itidem abesset scientia, adessetque error communis. *)

Discrimen, quod inter cogitationem existentiamque intercedit quantitativum, missum faciens, ad scientiae momentum, quocum rerum natura consentit, probandum, hanc sibi proposuit quaestionem Schleiermacherus, qua quomodo fieri possit interrogat, ut cogitandi actio ad id referri possit, quod extra eam positum est et ab ea sejunctum consistit. **) Nonne cogitandi actio et existentia externa res sunt ita diversae, ut, quum altera habeat modum quem habere altera nequeat, nulla unquam utriusque consensio effici queat?

Ad eam difficultatem solvendam, in conscientia no-

---

*) Cf. §. 87 et §. 96.

**) Cf. §. 106.

stri cogitationem cum existentia unitam atque conjunctam esse contendit. Investiganda igitur conscientiae nostri natura est, quamque ejus momenta, cogitatio et existentia, rationem inter se habeant, accuratius indicandum.

Haec ejus momenta aeque sejuncta ac conjuncta esse Schleiermacherus disputat, his utens verbis:

„Wir sind selbst noch etwas anderes, als das bloße Denken, „und Alles, was wir anderes sind, ja auch das Denken selbst, „kann für uns Gegenstand des Denkens werden." — „Das Ge„trenntsein beider offenbart sich auch schon darin, daß wir wissen, „es geht in uns noch anderes vor, als das Denken. So sagen wir „auch „„wir sind."" Cf. §. 106.

Conscientia igitur nostri ex Schleiermacheri sententia nihil aliud est, nisi ea nostri scientia, qua existentiam nos esse arbitramur et spiritualem et corpoream. Quare conscientia nostri ex ejus sententia non est mens et ad se ipsam et per se ipsam relata, seu cogitatio, quae se ipsam cogitans seque ipsam sibi reddens objectam, ab omni re corporea se distinguit eamque sibi alienam projicit. Hanc Fichtii sententiam non eandem esse Schleiermacheri e dilucidissimis ipsius hisce verbis apparet:

„Unser leibliches Dasein ist auch ein zusammengesetztes und „verknüpftes Ganze in unserem Selbstbewußtsein u. s. w." Ibid. §. 106.

Quomodo in nobis cogitatio se ipsam, eodem modo id, cum quo in uno consistit, et sine quo existere nequit, existentiam, quae ita res cogitata fit, cogitare potest.

---

*) Cf. §. 106.

Jam vero haud difficile est, ad quaestionem illam, quam supra Schleiermacherus proposuit, respondere. Corporea nostra existentia, ad quam e necessitatis lege cogitatio nostra se refert, cum existentia extra nos posita, quae sensuum impressionibus se nobis manifestat, conjunctionem init. Corporis igitur constitutio ea est nostri pars, ad quam vim exercet existentia externa, quaeque eandem huic reddit. Unde fit, ut in unaquaque cogitandi actione actio insit ex corporis illa constitutione progressa. Quae quidem actio, e corporis constitutione egrediens, in cogitandi actione functio est, quam Schleiermacherus dicit, organica et relative distincta ab ea, quae e ratione procedit, a functione, quam dicit, intellectuali. Conjunctio utriusque functionis, et organicae et intellectualis, cogitandi est actio, sicut sua natura verissime exstat. *)

Hinc ad eam, quae ad quaestionem illam solvendam a Schleiermachero instituta est, expositionem respicientes, effugere non potest, nullo modo difficultatem, quae inesset in illa quaestione, expeditam esse. Repugnantia illa, quae in conjunctione cogitationis et existentiae

---

*) P. 56. „Gäbe es ein Denken, worin eins isolirt wäre, ein „Denken, womit die organische Funktion, d. h. unser Sein, „sofern es mit dem außer uns gesetzten Sein identisch ist, gar „nichts zu schaffen hatte, ja dann hätten wir keinen Grund, „die Zusammenstimmung anzunehmen. Hiernach ist das Wis- „sen eben dasjenige Denken, welches auf gleiche Weise aus „der einen wie aus der andern Seite begriffen werden kann, „worin also die Operationen beider zusammen treffen, und „sich durchdringen.“

extra eam positae inerat, in conscientiam nostri ita est translata, ut hic eadem oriatur difficultas, quam antea habuimus. Qui tandem fieri potest, jam interrogandum est, ut res sibi oppositae et ex sua natura diversae unione primitiva teneantur? At sua natura non diversas esse Schleiermacherus contendat. Discrimen inter ideale et reale, cogitationem et existentiam, quantitativum esse invenimus. Sin autem quantitativum est, utriusque unitas tantum abest, ut sublata sit, ut res ipsas sibi oppositas fulciat earumque sit fundamentum. Atqui tali modo num vere difficultas superata sit, alio loco perquirendum est. Hoc unum admonuerim, a Schleiermachero discrimen illud quantitativum hic non summi habitum esse momenti, imo vim omnem, quod infra accuratius videbimus, in dei notione positam esse, qua tota illa difficultas removeatur.

Cogitandi actionem duplicem in se continere functionem vidimus, quarum alteram Schleiermachero auctore organicam, alteram intellectualem designavimus. De quibus, quid disputarit, accuratius jam inquirendum est. Ex eo momento, quo cogitandi actio functio organica est, res externas in se recipit. Quae quidem susceptio momento citius praeterit, meraque sine ulla conscientia rei perceptae sensuum affectio est, nisi cum organica se consociarit functio intellectualis. Functio organica, sola per se intellecta, nihil aliud est, nisi mera cogitandi possibilitas. In eo statu versantur animalia et homo infans, quum conscientiam sui nondum adeptus est. Qua quidem functione nondum percipiun-

tur res definitae, sed, quod percipitur, id prorsus indefinitum est et omnibus qualitatibus nudatum. *)

Simulatque organicae functio intellectualis se associavit, tum res e sola potentia definitae revere definitae fiunt. Notio functionis intellectualis in eo consistit, ut definiat. Definiendi autem actio aeque actio est opponendi atque in unum cogendi vel conjungendi. **)

Unde sequitur, ut cogitandi actio materiam, quam in se continet, extrinsecus accipiat per functionem organicam, quae ad res externas spectat iisque aperta est. Functio intellectualis, quae ad rationem spectat rationique aperta est, mera statuenda est actio formalis. ***)

Quam Schleiermacheri expositionem perspiciens, quis est, quin reminiscatur eorum, quae de perceptione vel intuitione et de notionibus disputavit Kantius. Notiones, quae e Kantii sententia mentis actiones sunt, sine perceptione vacuae dicuntur et perceptio sine illis caeca. Ut e Kantii sententia notiones materiam e perceptione,

*) An sich zwar ist das Sein ein bestimmtes, für jenes Aufnehmen ist es aber noch chaotisch und zusammenfließend.

**) Cf. §. 119. Nur dadurch, daß die entgegensetzende Thätigkeit in das chaotische Sein hineintritt, wird dieses zu bestimmten, sich ausschließenden Gestalten. Die intellectuelle Function ist daher ebenso sehr die gestaltende Thätigkeit. Jede bestimmte Gestalt des Seins ist aber nicht mehr abstract und unterschiedslos, vielmehr konkrete und durch den immanenten Unterschied bestimmte Einheit.

***) „In der bestimmenden Agilität des Geistes ist aber der Inhalt nicht, der ihr nur kann gegeben werden durch die entgegengesetzte Seite. In der bestimmenden Agilität ist also mit der Spontaneität zugleich die Form des Wissens, aber ohne den Inhalt; auf der bestimmbaren Seite ist mit der Receptivität zugleich der Inhalt, aber ohne die Form, und durch das Ueberschlagen beider in einander wird das wirkliche Denken.“

ita secundum Schleiermacheri disputationem functio intellectualis materiam sibi sumit e functione organica.

Quod ad notiones pertinet, quae cogitandi actione proferuntur, organicam quoque functionem in se contineant necesse est.

Quod quidem ita se habere de notionibus, quibus res externas imaginamur, facile concedimus. Qui autem fieri possit, ut universales quoque rerum externarum notiones et, quod mirabilius, vel formales notiones organicam in se contineant functionem, difficile videtur ad demónstrandum. Ad quod demonstrandum Schleiermacherus ad eam rationem, qua notiones oriuntur, seu potius gignuntur, animum dirigit. Quum notiones abstrahendo a singulis rebus gignantur, singulas res revocant, quas secundum communitatem qualitatum amplectuntur. Causa, cur tam facile, quomodo gignantur, obliviscamur, inde maxime est repetenda, quod summam notionum copiam, tantum abest, ut ipsi genuerimus, ut ex aliorum traditione acceperimus*). Formales denique notiones, nisi meris signis, quibus nihil certi cogitatur, adnumerare velis, actiones in se contineant necesse est, actionumque elementa organica**).

---

*) Cf. §. 110.

**) Die allgemeinen formalen Begriffe enthalten ebenso die organischen Elemente der einzelnen Thätigkeiten, welche darunter subsumirt sind, und in dem Maaße, als wir sie nicht so beleben, ist auch nichts wirklich darunter gedacht, sondern sie werden nur als Zeichen gebraucht. In dem Begriffe Subject z. B. sind alle Thätigkeiten, welche einen Gegenstand fixiren, zusammen gefaßt, die offenbar eine organische Seite haben." Cf. p. 111.

At remota habeatur ea opinio, qua universales notiones functione mera organica, ex qua sola ne singulae quidem notiones exoriuntur, proferri arbitramur. Non sine ea proferri verissime dixeris.

Sin autem secundum ea, quae supra disputavimus, omnis cogitandi actio duo illa momenta, functionem intellectualem et organicam in se continet, omnes cogitandi actiones triplici ratione intelligendae sunt. Habes primum eam cogitandi actionem, in qua functio intellectualis superior et functio organica inferior est *). Habes tum eam cogitandi actionem, in qua, ordine inverso, haec superior, illa inferior est **); habes denique eam cogitandi actionem, in qua altera alteri par est, et altera de altera detracta, nihil facit reliqui ***).

Quarum cogitandi formarum quaerentes, quae sit, quae maxime sciendi vel scientiae notioni respondeat, haud difficile est, quid respondendum sit, invenire. Media nimirum forma est, in qua cogitandi momenta, functio intellectualis et organica, paria sibi sunt prorsusque sibi respondent. Cogitatio sine rerum externarum perceptione nullo modo scientia dici potest. Scientia igitur ea est cogitatio, quae non minus a functione organica, quam a functione intellectuali profecta, in utriusque functionis non discrimine, sed communione et conciliatione ponenda est †). Quae quidem concilia-

---

*) „Das Denken." Sensu strictiore.

**) „Das Wahrnehmen."

***) „Die Anschauung." Cf. §. 115.

†) Cf. §. 99.

tio certissime exstat, si cogitatio ab ea functione intellectuali eaque organica processit, quae omnibus propria nec singuli unius est. Indoles enim functionis et intellectualis et organicae in omnibus re vera eadem est *).

Sin autem utraque functio proprie et sua notione in omnibus eadem est, sequitur, ut in locum functionis organicae unius, substitui possit alius, et cum functione ejus intellectuali in unum coire, itidemque ut in locum functionis intellectualis unius, substitui possit alius, et cum functione ejus organica se conjungere **). Ut aliis utamur verbis, in scientia sensus omnium ad uniuscujusque rationem omniumque ratio ad uniuscujusque sensus pertinent, unamque et eandem efficere possunt scientiam. Sic fieri potest, saepeque fit, ut, quod ab altero sensibus perceptum est, id ab altero ratione intelligatur, et quod ab altero verissimum cognitum est, id ab altero percipiatur ***). Quum igitur ratio sensusque omnium iidem sint, sequitur, ut communitas et experientiae et principiorum e ratione repetendorum inter omnes exstet.

Sed jam quaerendum est, num utraque, de qua disputavimus, substitutio, certis tantummodo finibus, an infinite exerceri et ita quidem exerceri queat, ut scientiae notio non tollatur. Certis ex Schleiermacheri sententia includenda est finibus, quum unusquisque praeter ea, quae cum omnibus habet communia, talia quo-

---

*) Cf. §. 122.

**) Cf. §. 120.

***) Cf. §. 121.

que in se gerat, quibus ab omnibus distinctus atque seclusus est. Ea hominis natura, quae e sua notione universalis est, personalitas, quae autem singularis et individua, individualitas a Schleiermachero dicitur *).

Unusquisque igitur, quum tales necesse sit proferat cogitationes, quae individuam ipsius naturam exprimant, hae non eadem ratione qua reliquae ad scientiae notionem referri possunt, itaque hic excludendae sunt.

Longiore hac expositione, quam de cogitationis scientiaeque momentis instituimus, absoluta, formae jam, quibus omnis cogitatio se manifestat, et ex eo modo, quo oriuntur, et ex eo, quem habent rationem ad res externas, accuratius enucleandae et ex earum notione cognitionis fines, quibus omnis cogitatio inclusa tenetur, quosque secundum Schleiermacherum excedere nequit, circumscribendi sunt. Formae, in quas cogitatio se immittit, sunt notio et judicium. Conclusionem cur Schleiermacherus excluserit, infra videbimus.

De notionum origine.

Fontes, e quibus notiones emanant, sunt ratio ac sensus **). Ratio determinandi appetitu est instructa, sensus autem ita sunt compositi, ut in eos imprimendo res externae suas exercere possint actiones. Quamdiu

---

*) Cf. p. 71.
**) Cf. §. 255.

ratio suam actionem sensibus extrinsecus incitatis nondum admovit, res externae indefinita sunt multitudo. Quae quidem determinationis inopia, qua res laborant, notionibus formandis tollitur. Uti enim potentia determinatae sunt, ita ratione seu functione intellectuali revera fiunt determinatae *). Ut autem res externae, quae potentia determinata ac definita sunt multitudo, vere determinatae fiant, aeque distinguendi vel opponendi atque conjungendi uniendique actio est necessaria. Haec utraque actio verissime actio est determinandi. Haec eadem reagendi est, quum, quae sensibus offeruntur, mutet et in suam naturam convertat. Sed accuratius jam, quomodo fiant notiones, contemplemur.

Sensuum affectio, sive functio organica extrinsecus incitata, id est quod tamquam primum notiones ipsas antegrediatur necesse est. Sensuum autem affectione in sensibus ipsis imago earum rerum oritur, unde affectio profecta est. Haec imago praeterit, nisi functione intellectuali firma ac defixa reddatur. Si autem defixa est, una cum ipsa alia imago oritur, quae, dum illa mera singularis est, universalis dicenda est. Hanc universalem imaginem Schleiermacherus schema semper appellat. Quae quidem imago generis imago est. Possibilitatem in se continet singularum imaginum et haec ipsa est possibilitas. Universalis haec imago singularis ipsa quoque dici potest imago, sed

*) Cf. p. 259.

haec ita cogitata, ut mutari possit et mutatione ipsa e genere non mutetur *). Quamquam imago universalis non e solis rerum actionibus orta est, sed rationis simul actione ad imaginem singulam relata, notio tamen nondum dicenda est. Tertium accedat necesse est, quod omnem ad res externas relationem abiecit et ex mera functione intellectuali originem duxit. Quod quidem tertium Schleiermacherus formulam dixit **). Quid sub formula intelligendum sit, hoc loco accuratius demonstrari nequit; quare de ea tum disputare placet, quum de notione deductionis loquemur.

Hanc totam rationem notionum formandarum Schleiermacherus inductionem dicit ***). Inductio a singulis incipit et ad universale progreditur. E singulis imaginibus universales oriuntur. Sed non acquiescendum est in iis imaginibus universalibus, quae nonnisi e singulis ortae sunt. Ex universalibus ipsis universaliores effingi possunt, et ex universalioribus aliae, quae majorem etiam in se continent universalitatem †). Ea, qua universalior nulla cogitari potest, imago, est mundus. Mundi notio summum ac supremum est, quod inductionis via assequi potes. Cui inductionis viae oppo-

*) „Das allgemeine Bild ist das einzelne Bild selbst, aber in der „Verschiebbarkeit gedacht d. h. so, daß es sich verändern kann, „ohne aus seiner Art herauszugehen." Cf. p. 213.

**) Cf. p. 214.

***) Cf. §. 256.

†) Cf. §. 267.

sita est deductionis, quae ad notiones formandas aeque necessaria est, eam, qua illa laborat, inopiam tollens.

Ut inductio postulat, ut data sit rerum multitudo, quae complectendo in unionem et communionem redigantur, ita deductio requirit, ut data sit rerum unitas, quae ex certo eoque necessario principio dividatur, suasque in partes dissolvatur *). Haec igitur divisio nullo modo ex arbitrio pendet, imo potius ita instituenda est, ut res se ipsa dividere videatur, neque alia proferantur, nisi rei ipsius necessariae partes. Divisio autem unionis, quum alio modo institui atque absolvi nequeat, nisi ita, ut oppositio in illa exoriatur, hoc maxime spectandum est, ne falso opponas falsoque opponendo a veritate aberres.

Quum hic nostrum non sit, e notionibus formatis formare alias et eas quidem, quae illarum sint partes et in illis unitatem habeant, sed e principe ac primo fonte, quae nondum notio est, notiones deducere, prae ceteris hic fons quaerendus est et, quantum fieri potest, accuratius indicandus. Est autem hic fons mundus. At non est mundus in se iam determinatus, sed in chaotico statu versans, ita ut neque certa multitudo, neque certa ac definita unitas ex eo iam processerit. Illa est data atque invenitur in functione organica, haec in functione intellectuali. Utraque haec functio deductionem antegrediatur necesse est. Quum in functione intellectuali impetus atque appetitus insit determinandi, de-

*) Cf. §. 278.

terminet necesse est eas, quae in functione organica sive in sensibus sunt datae rerum externarum impressiones, quae ad numerum innumerabiles sunt. Quarum impressionum unio, quamquam revera nondum mundus est, mundi tamen imago est mundumque representat *).

Prior actio est ea, quae a rebus externis proficiscitur. Haec rerum actio est passio functionis intellectualis. Sed haec passio non permanet, imo potius ea ipsa est, quae actionem functionis intellectualis provocet. Extrinsecus igitur determinata, iam ipsa determinat. Simulatque autem functio intellectualis actionem, quam accuratius dixerim reactionem, protulit, sui ipsius una cum rebus conscia fit, se a rebus resque a se distinguens. Quum primum igitur egit, res sibi seque rebus opponit. Quae opponendi actio, a functione intellectuali proficiscens, non confundenda est cum ea actione, quae maxime functionis organicae est, qua imago singularis extrinsecus desumta rebus aliis, in sensus nondum ingressis, opponatur. Haec revera opponendi actio dici non potest, quum, etiamsi membrorum unum sit definitum, alterum non sit definitum. Oppositio nisi inter certa atque definita existere nequit. Notio enim oppositionis haec est, ut reciproca sit. Unde fit, ut, etiamsi functio intellectualis res sibi seque rebus opponat, haec oppositio et distinctio non sit absoluta, imo potius relativa, quae dicitur. Actio fun-

*) Cf. §. 279.

ctionis intellectualis est rerum passio, rerumque actio est passio functionis intellectualis. Unaquaeque autem actio, quum simul sit passio et unaquaeque passio simul actio, discrimen inter actionem et passionem est quantitativum, de quo mox accuratius disputabimus *).

Functio igitur intellectualis, priusquam agat, non est. Agens autem, et prima jam actione, est, et quidem sui ipsius conscia, et conscientia res a se distinguens. Indefinita, quam initio habebamus, mundi unitas e partibus potissimis jam est definita, ita ut reliqua omnia jam possint determinari. Ea oppositione data, oppositionem dico inter res et functionem intellectualem, objectum et subjectum, reliquae omnes oppositiones, quae ex utraque earum partium repetendae sunt, e potentia sunt datae. Ex hac oppositione summa ad inferiores jam descendendum et opponendum est, quamdiu exstant, quae opponi possint.

Deductio quum a superioribus semper ad inferiora descendat, verissima ac perfectissima ratione sine inductione, qua superiora ex inferioribus inveniuntur, cogitari nequit. Deductionem igitur antegrediatur necesse est inductio, qua unitas invenitur non abstracta illa et in se vacua, sed concreta et momentorum copiam in se complectens **). At nonne ita deductio omnino superflua et supervacanea esse videtur? Unionem si jam habes in se concretam, quid est cur partes momentaque

---

*) Cf. p. 236 et p. 237.

**) Cf. §. 282. §. 283. §. 288.

quaeras? Sed aliud est, partes si habes extrinsecus assumtas complectendo, aliud ita, ut ex toto vel unitate praemissa eas inveneris *). Hac ratione si inveneris, necessarias eas invenisti. Necessarium enim id esse cognovisti, quod e superiore quodam velut momentum suspensum cognovisti. Tum vero eas, quas necessarias esse totius partes cognovisti, ita habes, ut et accuratissime et verissime inter eas distinguere optimeque, quam inter se habeant rationem, scire possis. Unde sequitur, ut ea res sit cognita atque intellecta, quae non minus inductione, quam deductione est reperta. Id, quod e deductione procedit, Schleiermacherus brevissimo verbo „formulam" dicit. Sub formula autem nihil aliud intelligi vult nisi hanc rei cognitionem et definitionem, qua ea tanquam necessaria pars superioris alicujus cognita est. In formula nihil inest, quod actionum, quae in re insunt, complexum indicet. Actionum complexum schema quod dicitur, in se involvit **).

Si autem necessarium est, unamquamque notionem et ex inductione et deductione ortam esse, ex utraque originem in se ferat necesse est. Quatenus igitur e de-

---

*) „Vollendet ist der Begriff erst, wenn die Erscheinungsseite „begriffen werden kann aus dem Wesen selbst und umgekehrt." Cf. pag. 249.

**) Cf. D. §. 284. „Die Formel ist die Bestimmung eines be„stimmten Gebietes des Seins aus den Theilungsgründen ei„nes höhern, also zuletzt aus dem System der Theilungsgrün„de. Begriff selbst ist sie nur, inwiefern das höhere Gebiet „als vollständiger Begriff aufgestellt war, also immer nur „durch Zusammensein mit dem Induktionsprozeß." §. 285: „In der Formel ist nichts an sich, was den Umfang der Ak-

ductione orta est, singularis est — est enim pars sive momentum superioris — quatenus ex inductione, universalis — est enim complexus singularium. Ratione igitur habita superiorum singularis dicenda est notio, universalis ratione habita inferiorum, quas in se amplectitur. Summam igitur eam merito dixeris, qua superior nulla omnino est, quae reliquas omnes in se continet prorsusque universalis est; infimam vero eam, qua inferior nulla est, quaeque nihil in se continens prorsus vacua est. Notionum summa mundus est, notionum infima Chaos. De utroque mox accuratius disputabitur.

De judiciorum origine et formatione.

Quum hic quoque nostrum sit judicium e primo fonte repetere, proficiscendum inde est, ubi judicium nondum revera, sed potentia tantum exstat. Proficiscendum est ex eo, unde oritur, elemento. Elementum autem, ex quo oritur judicium, ut grammatice dicam, verbum est. Verbum, quod definita actio subiecti appositi est, verum jam habendum est judicium. Verbum autem judicium revera nondum est, aut certe imperfectissima ejus forma, si omni adhuc relatione ad certum defini-

„tionen des Dinges bestimmte, das Schema hingegen ent-„hält die äußere, also den andern Dingen zugewandte Seite „eines jeden, den Inbegriff der Actionen."

tumque subiectum caret. Ejusmodi verbum, quod certa hac relatione caret, neque aliud quid nisi merum edicit factum, est impersonale. Ab eo igitur proficiscendum est *).

Prima eademque imperfectissima judicii forma, si judicii nomine omnino digna est, haec est, quae verbo mero impersonali, in quo indefinitum latet subjectum, efficitur. Propter determinationis inopiam subiectum omnia esse potest sive potius, ut accuratius definiam, unio est rerum omnium nondum divisa, ex qua nihil exclusum nihilque separatum est. Error in hoc iudicio inveniri non potest, quum nihil pronuntiet, nisi organicam affectionem, seu ipsum factum, quod functione organica extrinsecus perceptum est. Formulam primi huius judicii eam recte constituas: „In toto, vel rerum universitate, fit hoc.“**) Si dicendum est, ante notionum formationem jam judicii formam antegredi, hoc ipsum judicium imperfectissimum est, quod notionem antegreditur. Quum id semper nobis appetendum sit, ut judicii notionisque formis rerum existentiam externarum chaoticam evolvamus atque explicemus, nunquam autem omnibus numeris partibusque id assequamur, imo potius magna semper ejus pars remaneat, cujus naturam nondum cognovimus, haec prima judicii forma ubique revertatur necesse est ***).

---

*) Cf. p. 278.
**) Cf. p. 262. *
***) Cf. Ibid.**

A prima ista judicii forma ad aliam ita transeundum est, ut, quod in ea indefinitum incertumque remansit, id definiatur certumque evolvatur *). Incertum igitur primi judicii subjectum in certum definitumque mutandum est. Unde fit, ut merum primi judicii factum certi subjecti fiat certa aliqua actio i. e. praedicatum. Actio jam a subjecto prolata est, ab eoque ita pendet, ut, quae est sua natura, eam in illa explicitam habeat **). Haec igitur judicii forma a partitione rei pendet in functiones relative diversas, rationes in se continens, quas habent ad rem ipsam. Quare eatenus haec judicia vera sunt, quatenus omnes deductionis regulae accuratissime observatae sunt ***).

In hac judicii forma factum primi judicii in certam definitamque subjecti actionem conversum esse videmus. Actionis autem natura accuratius intellecta, unius eam subjecti esse negandum est. Actio enim, ut vera actio certi cujusdam subjecti sit, causa, quae dicitur, coefficiente opus habet †). Unaquaeque igitur singularis subjecti actio et passiva et activa et necessaria et libera dici debet. Causa autem coefficiente prae-

) Cf. §. 305.

**) Der Gegenstand, der Subjekt ist, ist mannigfaltig in sich bestimmt. Man nenne die Bestimmtheiten Eigenschaften, aber man denke sich unter ihnen nichts todtes. Sie sind durchaus eben so sehr Produkte, als die Darstellungen seiner Thatigkeit, seine Thatigkeit selbst — die Weisen, worin sich sein eigenthümliches Leben ausspricht.

***) Cf. §. 310.*

†) Cf. p. 269

dicato addita, judicium ipsum amplificatur et majore crescit determinatione. Quam quidem causam coefficientem, quam Schleiermacherus subjectum secundarium appellat, non necessarium est semper esse objectum *). Sed objectum esse potest. Objectum ea res est, in quam subjecti actio transiit. Subjecti actio, quum objectum determinet, libera est. Sed non mere determinans est. Per objectum simul est determinata, quum ad ejus naturam se applicet necesse sit, quumque id causam rationemque in se contineat, cur ad se, neque ad aliud quidquam directa sit **). Unde fit, ut vel ea subjecti actio, quae in rem quandam transit, actio simul ejus rei sit, in quam transit, eamque ob causam et activa et passiva.

Subjecto secundario apposito judicium summum adeptum est determinationem. Reliqua omnia additamenta nil aliud spectare possunt, nisi ut judicii cujusvis potissima momenta, subjectum, praedicatum, subjectum secundarium, accuratius definiant.

Judicii formis hactenus expositis, judiciorum distinctio, quam Schleiermacherus summi momenti habet, in medium proferenda est, qua perfecta imperfectis opponuntur ***). Imperfecta ea sunt judicia, quae nonnisi subjecto et praedicato continentur; per-

---

*) Z. B. „der Schnee schmilzt an der Sonne." Cf. p. 278.

**) Z. B. „A. liebt B. wegen seiner Redlichkeit." Cf. p. 279.

***) „Vollständige und unvollständige Urtheile." Cf. §. 310. et p. 280. seqq.

fecta contra ea, in quibus subjecto et praedicato subjectum secundarium est additum.

Utriusque subjecti, etprimarii et secundarii actio — et actio nihil est nisi rei explicatio — quum in praedicato coëat, in eoque se penetret, sequitur, ut praedicatum idem in se contineat, quod utrumque subjectum. Fingas tibi omnia, quae omnino exstant subjecta, omnesque omnium actiones, et habes judicium absolutum *). Judicium absolutum omnium judiciorum perfectorum communio est.

Judicii absoluti haec est notio, ut omnes res in actiones dissolutae, omnesque actiones in res regressae sint. Ut in judicio primo subjectum erat Chaos seu rerum universitas prorsus indefinita, ita in hoc judicio subjectum est mundus, qui nihil aliud est, nisi rerum omnium certarum finitarumque unio et communio. Omnis rerum incerta conditio est remota, quippe quae jam suis se prorsus explicaverint actionibus **).

Syllogismi explicatio apud Schleiermacherum non invenitur, quia, quum e tribus judiciis composita sit, eam non novam et singularem cogitationis formam habendam esse judicat. Qui, inquit, concludendi faculta-

*) Cf. §. 306 et 307.

**) „Uebersehen wir von hier aus das ganze Gebiet der Urtheilsbildung, so müssen wir sagen, daß alles Denken unter der Form des Urtheils, Fortschreiten vom primitiven zum absoluten und daß jedes Urtheil überwiegend, entweder mit dem primitiven, oder mit dem absoluten verwandt ist. Mit dem letzteren sind alle die verwandt, welche eine Gemeinschaftlichkeit des Daseins aussagen.“ §. 309. * **

tem rationi vindicant, non magnum rationi adscribunt, quum nova cognitio cogitandique progressus concludendo non proferatur *). Conclusio igitur verissime mera judiciorum habenda est analysis **).

De notione et judicio, non solum cogitandi, sed sciendi quoque formis.

Investigandum jam est, num notiones et judicia, quas cogitandi formas hactenus cognovimus, sciendi quoque formae statuendae sint. Tum certe scientia essent, si, quam supra verissimam scientiae indolem ac naturam esse exposuimus, ejus participes essent eamque in se expressam tenerent. Non igitur omnes notiones omniaque judicia scientia sunt, sed quae id in se continent, quo cogitandi actio in sciendi actionem efferatur.

A. De notionibus scientiam exprimentibus.

I. Eae tantum notiones scientia sunt, quae eadem ab omnibus via ac ratione gignuntur ***). Causa, cur

---

*) „Der Schluß ist blos Besinnung darüber, wie man zu einem Urtheil, das Schlußsatz ist, gekommen ist, oder gekommen sein könnte.“ Cf. pag. 287.

**) Das Subject des oberen Satzes wird Prädikat des unter die Allgemeinheit jenes zu subsumirenden bestimmten Subjekts im mittleren Satze: „daß die Theorie des Syllogismus so complicirt geworden ist, hat seinen Grund nur in der verschiedenen Quantität der Beilegung jenes Prädikats.“ Cf. Ib.

***) Cf. §. 175.

omnes eandem notionum proferendarum viam ingredi possint, non in eo ponenda est, quod, ut supra exposuimus, sensus omnibus sunt communes, ita ut quod alter sensibus percepit, id alteri utilitati sit, imo potius ponenda in ratione, quae in omnibus eadem atque una inest *). Systema autem omnium notionum scientiam efficientium in una habes ratione modo non temporali i. e. ita, ut notiones qua nationes in ratione non insint **). Ratio vividissima earum proferendarum vis eodem modo est, quo in semine inesse dicitur planta et quidem inesse modo non locali. Quamvis autem notionum principium, et quidem omnium sine ullo discrimine et physicarum et ethicarum, et sublimiorum et inferiorum, in sola rationa sit ponendum, organica tamen opus est affectione, ut revera in ratione existant ***). E quibus patet, quid statuendum sit de ea doctrina, quae menti notiones innatas essa docet. Verum in ea hoc est, quod ei se opponit opinioni, qua omnes notiones ex organicis affectionibus proficisci statuitur, falsa autem in eo est, quod notiones docet sine organica functione in ratione positas esse. Notiones revera tum nascuntur, si functio altera cum altera se coniunxit, intellectualis cum organica, organica cum intellectuali. Quatenus autem notiones scientia sunt, eatenus fieri non potest, ut meras ab aliis acceptas teneam. In

---

*) Cf. §. 176.

**) Cf. §. 176. 4.

***) Cf. §. 177.

scientia igitur quisque primus inter pares habendus est *).

II. Eae tantum notiones scientia sunt, quae existentiae externae respondent **). Si autem supra unamquamque notionem et universalem et singularem esse cognovimus, notio respondere non potest existentiae, nisi ita, ut illius momenta eadem huius esse cognoscamus. Quae quidem momenta in existentia ita insunt, ut notioni, quatenus universalis est, repondeat vis, notioni autem, quatenus singularis est, respondeant phaenomena ***). Ut notio inferior potentia inest in superiore, ita phaenomena potentia insunt in vi, ex qua profluunt. Ut notiones inferiores superiorem in se continent omnibus numeris definitam atque expositam, ita phaenomena quoque vim in se continent determinatam, et e suis momentis explicitam. Ut notio universalis alia ratione singularis quoque erat et singularis universalis, hisque finibus notiones inclusae erant, ita omnis quoque vis sub phaenomenorum forma omniaque phaenomena sub virium forma intelligi possunt, ita ut iisdem finibus existentia sit inclusa †). Ab oppositione quum ne suprema quidem vis sit liberata, quamquam sub phaenomenorum forma non amplius intelligi potest, notiones non excedit, sed iis ipsis percipi

*) Cf. §. 177.
**) Cf. §. 180.
***) Cf. §. 181.
†) Cf. §. 182.

potest *). Ut notionem non vere habemus nisi ita, ut simul eas, quae ei suppositae sunt, habeamus, ita absoluta haec vis revera esse neganda est, nisi eas, quae ei suppositae sunt, simul amplectatur. Vis absoluta, principium omnium habita, in ea doctrina invenitur, quae pantheismi nomine designatur **).

Scientia igitur nostra, sub notionis forma, oppositione illa relativa, quae vi efficitur et phaenomenis, prorsus inclusa est, ita ut praeter vires (vis absoluta non exclusa est) et phaenomena omnino nihil notionibus percipere possimus.

B. De judicio scientiam exprimente.

Non omne judicium per se jam scientia est, sed ea tantum judicia scientia sunt, in quibus scientiae natura atque indoles conspicua est. Inquirendum igitur erit, in quo situm sit, ut eadem ratione eademque via judicia ab omnibus possint proferri, quaeque ea sit existentiae forma, quae judiciis respondeat.

I. Causa, cur omnes homines eadem proferre possint judicia, in functione organica vel sensibus est ponenda, qui apud omnes iidem sunt, et ex iisdem legibus externa excipiunt. Huc aliud accedat necesse est, scilicet mundus omnibus hominibus eodem modo datus ***).

---

*) Cf. §. 183.

**) Ibid. 1.

***) „Worauf beruht es also, daß wir den Anspruch auf gleiche Urtheilsbildung an alle Menschen machen? Die Voraussetzung der allen Menschen auf gleiche Weise gegebenen Außenwelt

Quod quidem duplex si statuitur, uti statuendum est, tum certe ratio, qua functio organica ad res extra nos positas se refert, apud omnes eadem erit.

At, quod primum laudavimus accuratius definiendum est. Functio organica duplicem habet motum, alterum quo introrsum est versa *), alterum quo extrorsum **). Prior ille motus, quum nonnisi ad personam spectet, sedes est proprietatis, posterior, quum ad id spectet, quod omnibus eodem modo datum est, communitatis ***). Qui quidem posterior motus si adfuerit, ita ut affectio quaedam statui, in quo versantur res externae, prorsus respondeat, judicia paria proferri possunt.

Ut vero notio, cujus origo e ratione erat repetenda, organica opus habebat functione, ita judicium, ut revera sit judicium, intellectuali opus habet functione †).

---

reicht für sich allein nicht hin. Wir müssen dazu ein gleiches äußeres Bewußtsein voraussetzen, und das ist nun das in allen identische System der Sinne." D. §. 192. ***

*) „Empfindung." Cl. §. 190. 1.

**) „Wahrnehmung." Cl. Ibid.

***) Cl. §. 190. 2.

†) „Denn ein Urtheil ist nicht möglich ohne einen dem Subjekt gleich gestellten Begriff, und die gewußten Begriffe sind in der Identität der intellectuellen Funktion begründet. Nur ist festzuhalten, daß das Urtheil gar nicht von der intellectuellen Funktion ausgeht, indem dasjenige, was durch das Urtheil zu dem vollständigen Begriffe hinzukommt, nur die Wirklichkeit des in ihm als mögliches gesetzten ist, in dem Gebiet der intellektuellen Funktion aber giebt es keinen Gegensatz von Möglichkeit und Wirklichkeit. Cf. §. 189 et §. 191.

II. Judicium eatenus est scientia, quatenus existentiae externae respondet. Quaerendum est, quae qualisque ea sit. Existentia externa, judicio respondens, res sunt communitate inter se conjunctae, ita ut altera in altera insit et aeque activa ac passiva dicenda sit. Quae existentia e sua natura singularis, caduca et mutabilis est. Unde patet, judicium eas maxime spectare res, quae causalitalis nexu inter se invicem referuntur *).

Existentiam externam, quae notioni respondet comparantibus cum ea, quae judicio respondet, quamvis primo adspectu diversae esse videantur, re vera tamen in unum cocunt **). Existentia, notioni respondens, erant genera atque res, quatenus sub virium forma, quae meris phaenomenis opposita est, cogitari poterant. Sed vires sine actionibus intelligi non possunt; eatenus enim sunt vires, quatenus vim exercent, i. e. actiones proferunt. Ea autem existentia, quae actionum sive communitatis forma se manifestat, est, quae judicio respondeat. Omnia igitur habentes judicia, non notionum systema, at certissime totam eorum quae existunt communionem habemus, eandem quam notionum systemate habemus ***).

---

*) Cf. §. 193. 2. §. 194.

**) Cf. §. 195.

***) Ebenso, sehen wir das vollständige System der Begriffe, so sehen wir auch die Verwandschaft aller Begriffe, der Arten und Gattungen des Lebendigen und Elementarischen. Haben wir das, so haben wir nicht die Totalität von Urtheilen, aber die ganze Totalität des Seins, dieselbe die wir in der Tota-

Unde per se patet, absoluti judicii subjectum, de quo nihil amplius edici possit quodque omnes omnino actiones amplectatur, cum vi absoluta, qua superior nulla cogitari potest, in unum congruere *). Absolutum illud subjectum contineri rectissime dixeris toto complexu eorum, quae causalitatis ratione ad se invicem sunt relata, hic autem complexus idem est, qui virium complexus sub absoluta vi suppositarum **).

Quibus disputatis, totam existentiam externam aeque stabilitam esse recte contendes, atque continuo fluere ***). Stabilita est, quatenus notioni, fluit, quatenus judicio respondet. Stabilita existentia fluensque eodem modo altera ab altera pendet, quo notio a judicio, judicium a notione. Qui enim fieri posset, ut actiones essent, nisi firma stabilitaque essent, unde profluerent? Et qui fieri posset, ut virium systema, quo totum efficitur, existeret, nisi unaquaeque vis ad se manifestandam simul penderet ab aliis extra eam positis? Si autem existentia externa revera una est, sequitur, ut scientia quoque revera una sit. —

---

lität der Urtheile haben würden; denn das Urtheil giebt uns die Kräfte in ihren Aktionen, wie sie in Zeit und Raum verschieden sind, die einzelnen Dinge in ihren Veränderungen." Cf. §. 195 * p. 128.

*) Cf. §. 200.

**) „Von jenem Subjekt muß man doch sagen können, daß es in der Totalität des unter ihm gesetzten Causalitätsverhältnisses aufgeht, und daß dieses Aufgehen nur dasselbe ist, wie sein Aufgehen in der Produktion der untergeordneten Kräfte." Cf. §. 201. 2.

***) Cf. §. 196.

De scientia speculativa et empirica.

Ut existentiae externae a se ipsa discrimen formale est, ita scientiae quoque. Scientia duplex est distinguenda, philosophica ab empirica vel historica. Scientia philosophica ea est, in qua notionis forma, empirica, in qua judicii forma superior est. Quum altera altera superior tantum sit, sequitur, ut haec sine illa esse nequeat *). Ethica disciplina, quia voluntatem universalem principium habet, philosophica potius forma, historia, quia nonnisi de actionibus agit, empirica magis forma tractanda est. Altera forma altera carens imperfecta est **). Utriusque autem scientiae verissimam unionem, quae vere philosophica esset, tum haberes, si scires, quaecunque sciri possunt, i. e. mundum ***). Quamdiu autem mundus qua totus nondum cognitus est, neque in singularum rerum cognitione utraque forma se penetrat. Totum, quum nondum cognorimus, tantum abest, ut utramque se penetrantem habeamus, ut critica tantum nobis data sit †). Critica, idem in litteris habenda, quod in vita morali conscientia, nihil aliud est, nisi comparatio scientiae, qualis revera est, cum summa sciendi idea.

---

*) Cf. §. 197.

**) „Das Speculative an und für sich, und ebenso das Empirische, sind beide unvollständig, weil in jedem als selbstständig gesetzt wird, was durch das andere doch bedingt ist.“ Cf. p. 143.

***) Cf. §. 209.

†) Cf. §. 210.

De voluntate.

Existentiam externam aeque notione atque judicio, unicis cogitandi sciendique formis, a mente percipi vidimus. Qua in perceptione mens, quia accipit, dicenda est patibilis, existentia autem externa, quia dat seque ipsam cum mente communicat, dicenda est activa. Quum autem, qui accipit et patitur libertate, quae nonnisi in actione ponenda est, careat, mentem quoque in rebus externis cognoscendis libertate carere recte dices. Libertas igitur in rerum cognitione a partibus rerum est; res enim sunt, quae, se communicantes, agant. At mens tamen non mere patibilis est. A rebus externis determinata eas ipsas determinat, et quidem ita determinat, ut voluntatis forma se ipsam in eas introducat suamque naturam et indolem cum iis communicet. In quo opere perficiendo mens libera praedicanda est.

Ea, quae modo exposuimus, respicientes et a partibus rerum et a partibus mentis actionem invenimus et passionem, libertatem et necessitatem. Mens, si hanc habet ad res externas rationem, ut eas cognoscat, scientia est physica. Scientia autem ethica tum est, si voluntate suas in res externas transferat ideas. In scientia physica res externae prius, mens posterius, in scientia ethica mens prius et res externae posterius judicandae sunt. Duplici hac ratione, quae mentem inter et res externas intercedit, materia duplicis disciplinae est data, physicae et ethicae *).

---

*) Cf. §. 211.

Oppositio, quam inter scientiam physicam et ethicam modo statuimus, tantum abest, ut sit absoluta, ut sit relativa vel quantitativa. Neque enim natura sine principio ideali, neque mens sine principio reali cogitanda est. Quocirca Schleiermacherus ethicam dicit disciplinam physicam hominis totamque naturam deminutam ethicam *).

Principium ethicum, quae est voluntas, accuratius contemplantes, summam cum scientia similitudinem videmus. Haec similitudo eam ob causam non a casu pendet, quia voluntas scientiam revera in se continet.

1. Scientiae indolem si universalem esse supra cognovimus, eadem voluntati indoles convenit. Voluntas, quae ethices principium est, natura sua non singularis est, sed universalis. In unoquoque homine quum genus humanum, vel ratio in omnibus eadem insit, inde repetenda est causa, cur voluntatis consensio, quae eadem voluntatis universalitas est, inter omnes existere possit.

2. Si scientiae necessarium id cognovimus momentum, quo rebus externis respondeat, hic res habemus voluntati respondentes. Et in scientia et in voluntate eandem habes subjecti et objecti unionem, eo uno discrimine, ut in illa objectum, in hac subjectum prius sit. Causam consensionis rerum externarum cum voluntate Schleiermacherus non e genere humano vel ratione, quae eadem omnibus insit, sed e Deo, in quo

*) Cf. p. 150.

subjectum et objectum, omni omnino discrimine sublato, unum prorsus atque idem sit, eodem modo repetendum esse docet, quo in scientiae notione vidimus *).

Deus igitur haud minus in voluntate quam in scientia inest, cujus utriusque conditio est. Voluntas, quum scientiae relative opposita sit, hujus relativae oppositionis Deus particeps fit. Si autem ejus particeps fit, in neutra ex tota sua essentia inest. Ex tota sua essentia inesset in utraque ita unita, ut omne omnino discrimen absolute deletum esset. Quaerendum hoc unum est, num talis unio in singulis inveniatur. Invenitur sane et quidem in sensu interno **). De ejus notione accuratius nobis erit disputandum, quum antea, primum Dei ideam, tum mundi notionem et eam, quae inter utrumque intercedat, rationem copiose explicuerimus.

De absoluti idea.

Quid sit absolutum, ex Schleiermacheri sententia, quae eadem jam fuit Plotini, dici nequit; dici autem potest, quid non sit. Non igitur alia ratione nisi negativa de absoluto disputandum est ***). Unde fit, ut Schleiermacherus eos omnes impugnet, qui, quid esset Deus, definierunt, Deum definiendo cogno-

---

*) Cf. §. 214. et p. 426. seq.

**) Cf. §. 215.

***) Cf. §. 217. *

sci posse opinantes. Norma atque regula, ex qua Schleiermacheri critica haec negativa profluat, ea est, qua omne discrimen omnemque oppositionem et internam et externam a Deo removendam esse putat. Ubi discrimen atque oppositio exstat, ibi exstare simul putat inopiam, et ubi inopia est, Deus non est. Dei naturam qui in se distinctam et vel oppositam putant, hi eam in finitarum rerum numerum detrahunt. Videamus jam, quas Schleiermacherus sententias de dei natura prolatas ex hoc principio refellendas putet.

1. Sententiarum quas impugnat fere potissima haec est, quam Pantheismum vulgo dicunt. Schleiermacherus a Pantheismi crimine, cujus a permultis accusabatur, prorsus se vacuum atque liberum opinatus est. Prae ceteris igitur investigandum est, quam theoriam pantheismi nomine appellandam esse censeat. Eam doctrinam pantheismum vocat, qua Deus summa vis esse statuitur *). In iis, quae supra disputavimus, vim, ab existentiae externae vel rerum partibus, notioni respondere vidimus. Quatenus rerum existentiam ad vim ejusque notionem rectissime retuleris, eatenus notionis forma eam omnino suscipere potes. Vis autem nonnisi ea existentia dici potest, quae se manifestat seque manifestando phaenomena profert. Phaenomena igitur vim ipsam in se continent nullumque fere discrimen interesse videtur

*) Cf. §. 183.

vim inter et phaenomena. At vis phaenomenis non minus opposita est et quidem ita opposita, ut, quatenus aliquid vis dicitur, eatenus sub phaenomenorum forma intelligi non possit, et quatenus aliqua phaenomena dicuntur, eatenus non sint vis. Phaenomenorum natura est momentorum dispersio, vis ipsa dispersorum est unio causaque, ex cujus unitate illa progrediantur. Vis summa ea est substantia, ad quam omnia nonnisi phaenomena sunt, ita ut praeter illam, his exceptis, omnino nihil cogitari possit. Ea autem existentia, quae omnibus determinationibus — phaenomena autem sunt determinationes — est orbata, vis dici nequit. Omnibus determinationibus caret ea existentia, quae a Schleiermachero dicitur chaotica. Si autem omnium determinationum complexus mundus est, per se patet, vim illam summam esse vim mundanam. Quae vis mundana absolutum ideo esse nequit, quia, quamvis sit summa, oppositionis rationem nondum superavit. Eodem modo, quo phaenomena pendent a vi, haec ipsa vis pendet a phaenomenis. Deus si intelligitur summa vis, cognosci quidem potest, sed ideo potest, quia pendet a phaenomenis. Deus, qui ab aliquo pendet, Deus non est *).

---

*) In der höchsten Kraft sind ebenso sehr alle Gegensätze zurückgenommen, als sie der produktive Grund und das Setzen aller Gegensätze ist. Von dieser höchsten Kraft bemerkt nun Schleiermacher, daß sie noch immer Glied des Gegensatzes, nur daß sie nicht zugleich Erscheinung sei; sie liege also noch im Gebiet des Begriffs, nicht darüber hinaus. Wie der Begriff in uns nicht wahrhaft ist, als mit dem System seiner

Spinozae absolutum Schleiermacherus condendit nihil aliud esse, nisi hanc summam vim, unde rectissime ejus systema dicatur Pantheismus *). Fuisse, Schleiermacherus dicit, qui hanc Spinozae doctrinam ea doctrina refellere studerent, qua deum dicerent ex nihilo mundum creasse. Quos tamen re vera putat idem contendisse, quod impugnassent **).

2. At non solum contra eos, qui deum summam vim esse contenderant, sed etiam contra eos Schleiermacherus pugnat, qui deum aut fatum aut providentiam esse statuerant ***). Quas quidem notiones agnoscit inter potissimas habendas esse eaque, quibus orbata esse nequeat philosophia vera, absoluti autem ideam iis exprimi negat. Potissimae ideo censendae sunt, quia summae cogitationes sunt, ad quas judi-

---

untergeordneten zugleich, so würde auch von dieser absoluten Kraft gesagt werden müssen, sie sei nicht anders, als mit ihren untergeordneten zugleich und durch sie. Weil diese höchste Kraft über den Gegensatz noch nicht hinaus ist, kann sie auch das Absolute nicht sein. „Die Ueberzeugung von der „Gottheit liegt nicht in einer Reihe mit der Ueberzeugung vom „Gegensatz der Kraft und Erscheinung im Sein." Cf. §. 184.

*) Cf. p. 118. * „Die Spinozasche Gottheit ist nichts als jene höchste Kraft, wovon alles andre nur Erscheinung ist."

**) D. p. 119. „Wird aber die Gottheit so gedacht, was ist sie „dann? Nichts als die höchste von allen Schranken entbundene Einheit der Kraft, deren Totalerscheinung, deren Offenbarung die Welt ist, denn die Kraft ist es, die die Erscheinung „producirt, und das Denken Gottes wäre dann nichts anderes, als das physische und ethische Denken auch ist, durchaus „kein Transscendentes."

***) Cf. §. 202.

cium, altera cogitandi forma, pervenire, quasque ex se gignere potest.

Revocanda in mentem breviter ea sunt, quae supra disputavimus de judicio absoluto. Absolutum subjectum nil extra se habet, quum, quaecunque sunt, ea amplectatur et in se contineat. Ut cujusvis judicii subjectum causam rationemque praedicati esse cognovimus, ita absolutum subjectum ea est causa, qua omnia finita, suaque natura determinata absolute proferuntur. Haec autem absolutae causae notio et in fato et in providentia inest, eo solo discrimine, ut fatum absoluta omnium ea causa sit, quae conscientia careat, providentia eadem causa, sed sui conscia *). Sed propter id, quod inter utrumque intercedit discrimen, neutra earum formarum Deo respondere potest, in quo oppositio rem inter et conscientiam nulla est statuenda. At si neutra earum formarum sola atque una deo respondet, nonne unio, in quam utraque ita coit, ut discrimen abjiciat, respondebit? Etiamsi deo responderet, fieri non posset, ut porro summa causa diceretur **).

---

*) Schicksal und Vorsehung, beides ist dasselbe, ein als Grund gesetztes, das selbst keinen Grund weiter hat, worin aber alles durch Nothwendigkeit gegründet ist, nur das erste, als bewußtloses, die andere als bewußte aufgefaßt." Cf. p. 136. *

**) „Wollte man aber sagen, nun gut, es fehlt ja nichts, als daß der relative Gegensatz aufgehoben werde und beides identificirt, so geht das eben nicht; denn die höchste Ursache kann man nicht denken in einer Indifferenz von Bewußtsein und Bewußtlosigkeit." Ibid.

Si vero unio ista, in quam utraque forma coit, talis est, quae discrimen reservet, cum summa vi eadem est statuenda, nulloque modo ex iis rationibus, quas supra jam exposuimus, Deo respondere potest. Etenim summa causa sine effectibus eodem modo cogitari nequit, quo summa vis sine phaenomenis cogitari non potuit.

Jam si interrogamus, quid re vera sit ea unio, quae sine ullo discrimine et summa causa et summa vis dici possit, quaeque omnia finita ac phaenomena proferat et sine iis, a quibus simul diversa est, cogitari nequeat, mundus est. Deus ex Schleiermacheri sententia mundi unioni, ex qua omnia phaenomena proficiscuntur profectaque in eam revertuntur, non par habendus est. Quid vero est absolutum, aut si haec quaestio perversa est, quam habemus causam, qua nixi absolutum esse statuamus?

Ad causam rationemque explicandam, qua necessitate quadam ad dei existentiam statuendam impellimur, revertendum nobis ad scientiae voluntatisque ideam est. Scientiae notio duplicitatem in se continuit momentorum, quorum id gravissimum hic habendum est, quo scientiam rebus externis respondere cumque iis convenire necesse erat. Qui fieri potest, ut cogitatio cum rebus externis consentiat? Nonne illa ab his absolute diversa est? Fieri ideo potest, inquit Schleiermacherus, quia verissima ratione cogitatio existentia et existentia cogitatio est. Haec autem absoluta utriusque unitas deus est. Quocirca Schleiermache-

rus Deum dicit rationem scientiae transcendentalem. Ut autem scientiae, ita voluntatis quoque est *).

Accuratius jam videndum est, qua ratione discrimen inter cogitationem et existentiam in deo sit sublatum. Negatio eorum, quae sibi opposita sunt, duplex esse potest, quarum alteram abstractam, alteram concretam brevissimis designarim verbis. Abstracta ea est dicenda negatio, quae nonnisi diruat atque evertat, ea autem negatio concreta est, quae quod diruit, id ipsum in se suscipiat susceptumque reservet.

Quibus explicitis, oppositionem inter cogitationem et existentiam in Deo abstracte sublatam esse dicendum est. Deus igitur talis utriusque unio est, quae omnem determinationem excludat prorsusque a se remotam habeat **). Cogitatio in deo non ita existentia est, ut sua actione se gignat seque gignendo existat, sed ita ut sine ulla actione ulloque motu existentia ipsa, et existentia sit ipsa cogitatio. Unio absoluti, omni vita carens, in se prorsus torpet ***).

Unde per se patet, quam rationem Deus ad hominis habeat cognitionem. Tantum abest, ut cognitionis sit objectum, ut sola ejus sit conditio sive ratio. Cognitionis scientiaeque objectum tum esset, si in se ipso discrimen motusque principium haberet. Cognitio

*) Cf. §. 114 **, §. 222, §. 214.

**) Cf. §. 219.

***) Die Einheit von Denken und Sein, als die Einheit des Absoluten, ist mit einem Wort, Indifferenz.

enim nonnisi ad certum quoddam taleque, quod momentorum in se reconditum habeat varietatem, directa esse potest. Interna objecti determinatione sublata, sublata est cognitio. Deus, quia cognitionis non objectum, sed mera ejus conditio vel ratio est, optime a Schleiermachero dicitur cognitionis terminus transcendentalis a quo *); cui opponit mundum, quem dicit terminum esse cognitionis transcendentalem ad quem **). Ex mundo, omnium determinationum complexu, materiam sibi cogitatio, quae in se ipsa vacua est, sumit. Transscendentalis ideo dicitur mundus, quia, tametsi objectum, cognitionis potentiam simul excedit. Mundus enim non totus omnibusque numeris cognosci potest ***). Cujus rei causa inde repetenda est, quod cognitio nonnisi ad eas mundi partes se refert, quae functione organica, sine qua nulla cogitatio igiturque nulla cognitio existere potest, attingi possunt. Ne omnes quidem res terrestres in hominum sensus perveniunt, nedum innumerabiles mundi, qui extra terram consistunt. De complurium corporum coelestium externa ad terram relatione nonnulla sciri possunt, qualis autem naturae, qualisque indolis sint, nullo modo perspici potest.

Sed aliud est, si cognitionem transcendit mundus, aliud si Deus. Mundus enim id est transcendentale, cui cognoscendo magis magisque nos appropinquamus,

---

*) Cf. §. 222.

**) Cf. Ib.

***) Cf. §. 221. 2.

deum autem nulla omnino cognitione assequi possumus *). Mundo vel toto cognito non propius ad deum accessisti, quam eras, quum primam cognoscendi actionem exercebas.

Ita mundus et deus prorsus sejuncti esse videntur. Nostrum jam est, quam inter se habent rationem, accuratius investigare.

Deus et mundus in eo pares habendi sunt, quod uterque unio est cogitationis et existentiae, idealis et realis, subjecti et objecti. Sed haec ipsa unio est, qua absolute vel ita discrepent, ut omni careant communione. Deus enim, ut ea utriusque unio est, quae omni distinctione caret, ita mundus ea utriusque unio est, in qua cogitatio ab existentia simul diversa est **). Haec cogitationis ab existentia diversitas cum Schleiermachero accuratius contemplanda est. Quanti momenti haec diversitas Schleiermachero fuerit, inde patet, quod critica ratione oppositionis notionem investigavit definivitque, quae esset omnium oppositionis formarum ea, quae maxime et unice cum mentis legibus conveniret. Nostrum est, hanc ejus quaestionem sequi. Oppositionis formae sunt, primum quidem, oppositio negativa, tum vero oppositio positiva, quae aut simplex est, aut composita ***).

1. Oppositionem negativam ibi habes, ubi ex duobus oppositis nonnisi unum statuisti vere existens,

---

*) Cf. §. 222.

**) Cf. §. 219.

***) Cf. §. 289 et 290.

alterum autem non existens (τὸ μὴ ὄν) futile et pro nihilo putandum. 2. Oppositionem positivam in universum quidem ibi habes, ubi utrumque oppositorum eodem jure eademque vi existens statuisti. Sed distinguendum est inter oppositionem simplicem et compositam.

a. In oppositione positiva eaque simplici partes sibi oppositae eam habent rationem, ut e qualitatis legibus prorsus se excludant, ita ut in unitatem redactae se tollant evertantque. Propter hanc exclusionis rationem fieri non potest, ut ante exclusionem ipsam ex eadem unitate processerint. Ex unitate enim oppositio quum nullo alio modo exoriri possit nisi divisione, utraque partium divisione exortarum quamvis ad se ipsam sit relata, alterius tamen particeps est et manet.

b. Ea oppositionis forma, quae veritati una respondet, oppositio est composita. Cujus oppositionis partes divisione ex eadem unitate exortae sunt. Hanc originem vel oppositae tenent atque reservant. Intra unitatem autem res tum sibi sunt oppositae, si discrimen, quod inter utramque partem intercedit, merum quantitativum est. Oppositio igitur, verissime intellecta, quantitativa vel relativa dicenda est.

Ex hac, quae sit oppositionis notio, expositione patet, cur Schleiermacherus Idealismum Fichtianum subjectivum impugnet. Impugnat ideo, quia praeter ideale, quae mens est abstracta ratione ad se ipsam relata, nihil verum esse statuit, reale nullum existere demonstrans. Eadem autem vehementia impugnat materialismum, qui, vice versa, verissimum unum statuit esse

reale, ideale nullum existere argumentis probans. Sed eos quoque improbat, qui, quamvis utrumque oppositorum et ideale et reale agnoscant, rationem, quam inter se habent, ita intelligant, ut alterum ab altero prorsus excludatur, quique, ut mundi unitatem conservent, ad unitatem, quae dicitur, mechanicam refugiant. Oppositionis partes, quae qualitatis forma sibi oppositae sunt, nullo alio modo nisi vi extrinsecus irruente, harmonia quasi praestabilita, conjungi possunt. Haec mundi unitas, vi effecta, ex Schleiermacheri sententia verissime ita superatur, ut et ideale et reale tale intelligatur esse, quod quantitatis rationem inter se habeat. Quam mundi supremam oppositionem omnes, quae ei suppositae sunt, oppositiones sequuntur, quum et ipsae quantitativam indolem teneant reserventque *).

Quibus expositis rationem indicare licet, quam deum inter et mundum Schleiermacherus statuat. Non alia, inquit, ratio inter deum et mundum est statuenda, nisi ea, qua conjuncti sunt **). Haec autem eorum conjunctio ita est intelligenda, ut discrimen sejunctionemque non excludat. Discrimen alterius ab altero in eo consistit, ut Deus sit unitas sine multitudine, mun-

---

*) Hierher gehören sowohl diejenigen Gegensätze, die beide genannte Faktoren zu ihren Seiten haben wie z. B. Leib und Seele, als auch diejenigen, die sich nur aus einer der beiden Seiten hervorbilden wie z. B. auf der Seite des Idealen oder des Geistes der Gegensatz zwischen Verstand und Wille, auf der des Leibes, zwischen Nerven- u. Muskularsystem. p. 246.

**) Cf. §. 224.

dus sit multitudo sine unitate, mundus spatii temporisque legibus sit obnoxius, Deus id utrumque a se remotum habeat. At, inquit, neuter cogitari potest sine altero. Mundus non est sine Deo.

Ea quae contra hanc Schleiermacheri explicationem admonenda sunt, ad accuratioris definitionis inopiam redeunt. Quam Schleiermacherus etsi cognitam habebat, cognovit simul, fieri nullo modo posse, ut removeatur. Dicit §. 225. * p. 167 et 168:

„Unsere Formel nun giebt freilich keine nähere Bestimmung „beider Ideeen, aber wir haben sie als Correctiv und sagen: keine „Formel des wissenwollenden Denkens ist genügend, die sich nicht „mit dem Zusammensein beider Ideeen verträgt." —

Postquam dei relationem ad mundum mundique ad deum rationem eo quo constituit modo Schleiermacherus in universum indicavimus, nostrum jam est eam exponere rationem, quam habet deus ad singulum quemque. Fierine potest, ut singulus ad deum se efferat et si fieri potest, qua sola via haec instituenda est elatio? Si haec hominis ad deum elatio dei simul in hominem ingressio est, nonne dei notio hac ipsa tollitur? Deus in hominem ingrediendo, aut hujus ad ipsum elatione sua essentia mutari nequit; est enim immutabilis. Omnem autem determinationem, quum Deus excludat, facultasne singulo cuique data est, determinationem suam ita tollendi, ut par fiat divinae universalitati?

1. Cogitatione nullam cognovimus omnino effici posse elationem. Utraque ejus forma, et notionis et judicii, ad mundum ut unum solumque objectum se refert. Cogitatio nonnisi ad certum aliquod atque defi-

nitum spectat. Vel summum cogitationis objectum, quae est vis mundana vel causa absoluta, ab oppositione et determinatione non est liberatum. Et haec et illa phaenomenis opposita est, quibus simul inhaeret.

2. Haud magis voluntate et eo, qui inde proficiscitur, actu fieri posse vidimus, ut singuli quique ad deum se efferant, quum voluntatis quoque materia finita sit atque determinata. Quae si universalis esset, omnem determinationem excludens, voluntas omnino nihil vellet. Unde ii, quos dicit Schleiermacherus „quietistas" ex ipsius sententia nihil volentes sunt *).

At non solum propter objecti determinationem, sed propter aliam etiam et cogitatio et voluntas deum in se suscipiendi impotes sunt. Haec autem ea est determinatio, qua ad se invicem sunt determinatae. Mens, quae cogitandi volendique unio est, ex hac ipsa unione excedit, si aut cogitans aut volens est. Quocirca hac ratione non solum contra deum, sed simul contra sui ipsius unionem atque integritatem determinata est.

Quamvis Schleiermacherus iis repugnet, qui deum sua essentia aut in cogitatione aut in voluntate praesentem esse putent, nihilominus ipse eum in utraque, etiamsi non objecti forma, tamen inesse statuit. Cogitatio enim et voluntas duplici ratione intelligi possunt, quarum alteram materialem, formalem alteram brevissimis verbis designaris. De sola materiali hacte-

*) Cf. D. p. 156.

nus disputavimus. Missa igitur illa, ad solam formam nos convertamus. Mera cogitationis forma cujusvis materiae negatio vel sola ejus potentia habenda est. Materia ademta, cogitationi id detractum est, quod aut sua actione profert aut ad quod certe suam exercet actionem. Si igitur cogitatio non aliter nisi in actione versatur, haec autem, detracto objecto, nulla est, sequitur ut ipsa cogitatio desinat esse et in meram ipsius detrudatur potentiam. Ea quae de cogitatione valent, eodem modo ad voluntatem pertinent, quae tantum abest, ut suis momentis, ut solo suo motu a cogitatione discrepet. Ut a rebus cogitatio, ita a cogitatione incipit voluntas. Certa materia detracta, et ipsa voluntas ad meram sui potentiam vel negationem detruditur. Cogitatio et voluntas ex certis incertae factae, jam inter se non amplius sunt distinctae. Haec autem et cogitationis et voluntatis potentia sive negatio nihil aliud est, nisi sensus internus.

Sensus internus cogitationis voluntatisque unio est negativa. Quibus verbis tota ejus notio continetur. A perceptione, quacum saepissime confunditur, penitus prorsusque diversa est.

1. In perceptione enim mens per sensus immediata ratione ad externum objectum, in sensu contra se ad se ipsam refert. Quocirca perceptionem haud immerito dixeris sensus interni negationem.

2. At perceptio non solum ad objectum se refert externum idque determinatum, sed etiam, vel ad se ipsam relata, determinata est atque finita. Perceptio enim perceptionum est multitudo, quia sensus, per quos

efficitur, talis multitudo sunt. Sensus sensuum systema est, se invicem supplentium. Ab ea quoque determinatione sensus internus abhorret, quum tota sit mens, quamquam immediata ratione ad se ipsam relata.

Sensum internum cogitationis voluntatisque unionem diximus negativam. Quibus verbis nulla alia est expressa sententia, nisi ea, qua sensus ille neuter earum statuitur. Sed accuratius jam videndum est, utrum Schleiermacherus unionem istam talem intellexerit, quam ipsam et cogitatio et voluntas et quidem utraque jam determinata antegrediatur, an talem, quam utraque sequatur sive ex qua proficiscatur. Certissimis Schleiermacherus verbis quum doceat, sensum internum immediatam etiamsi relativam cogitationis voluntatisque unionem esse, ab omni dubitatione liberati sumus. Relativam autem ideo dicit, quia ab altera ad alteram semper transimus. Modo altera prior est et altera posterior, modo vice versa haec illam praecedit. Sensus autem internus si alterius in alteram transitus est, utraque eum antegrediatur necesse est. Utraque autem si eum antegreditur, revera conscientia eum antecedit, qua utraque efficitur. Ipse igitur sensus internus conscientiae est negatio in utraque harum determinationum, sive conscientiae reditus est in immediatam conscientiam nostri. Vis summa in immediati verbo est ponenda. Verissime enim conscientia nostri mediatio est et ea quidem perfectissima. Conscientia enim nostri ea actio est, qua se ipsam proferat simulque se ab omnibus iis distinguat, quae ei opposita sunt. Conscientia nostri, quum adhuc conscientia sit, etiamsi

non alieni cujusdam, sed sui ipsius, determinata sit necesse est. Mens contra, quatenus immediata sui conscientia est, omni discrime remoto, simplici ratione se ad se ipsam refert, talique modo sensus dicitur internus. Conscientia quia sensum antecedit, nunquam is tota sua integritate procedit. Ita semper procedet, ut conscientia ex eo progredi appetat. Quare simplicitatem ejus semper habebis perturbatam suique negationem ex parte in se gerentem.

Sensus internus una mentis forma est, qua Deus suscipi potest. In qua etiamsi determinatio nondum omnino negata, at certe maxime est omnium formarum spiritualium. Quatenus in ipsa determinatio remanserit, eatenus ab ea Deus abhorrebit.

Deus quum omni in se careat motu, hic ipse in singulum cadit. Unus autem singuli motus, ad communionem cum Deo impetrandam, is est, ut ipse sine motu fiat. Perfectissimus igitur animi defectus torporque is est status, in quo Deo singulus perfruatur. Quare sensum internum rectissime talem dixeris esse, in quo singulus a Deo pendentem se sentiat.

Sed non satis est dixisse, in sensu illo interno singulum se a Deo pendentem sentire. Etenim in scientia quoque homo pendentem se sentit, quia in ipsa a natura vel rebus externis scientiae materiam accipit. Pendet enim semper ab aliquo homo, si passivus est. At contra naturam singulus quisque liber quoque ést. Liber enim est, quia agit et quidem haec actio in eo consistit, ut suam essentiam in naturam introducat, eamque sua ratione ornet et illustriorem reddat. Ab absoluto

quia omnis actio exstinguitur, libertas mea prorsus nulla est. Non extingueretur, si ad dei notionem actio pertineret. A Deo igitur singulus non solum pendentem, sed vel absolute dependentem se sentit. Homo autem, qui se absolute a Deo dependentem sentit, religiosus est.

Cogitatione et voluntate si fieri non potuit, ut singulus unionem cum Deo iniret, in sensu interno eam effectam habemus. Quare Schleiermacherus ipsum sensum religionis internum vere effectum dicit. Sed haec addit verba *):

„Aber auch das Gefühl ist nie rein, denn das Bewußtsein Gottes ist darin immer an einem Andern; nur an einem Einzelnen ist man sich der Totalität, nur an einem Gegensatz (zwischen dem einzelnen Sein und dem außer uns gesetzten) ist man sich der Einheit bewußt."

Et alio loco dicit **).

„Allerdings ist in demselben (Gefühl) das Absolute, aber nicht an und für sich, wie wir es in der Spekulation suchten, sondern immer an einem Anderen, dem Bewußtsein des Menschen von sich selbst, von bestimmten menschlichen Verhältnissen u. s. w. „Wollen wir das Bewußtsein Gottes isoliren, so gerathen wir in ein bewußtloses Brüten, und wir müssen immer sagen, das Bewußtsein Gottes sei um so lebendiger, je lebendiger ein anderes dabei ist. Im religiösen Bewußtsein, wenn es in seiner Natur bleibt und nicht damit experimentirt wird, ist das Bestreben, das Bewußtsein Gottes zu isoliren, gar nicht. Der religiöse Mensch hat kein Arg daraus, das Bewußtsein Gottes nur zu haben an dem

*) Cf. p. 152. 2.

**) Cf. p. 153.

frischen und lebendigen Bewußtsein eines Irdischen. Das philosophische Bestreben will es aber an und für sich haben, und es genügt ihm, sich desselben an und für sich als einer nothwendigen Voraussetzung bewußt zu sein, so daß es jedem nachweisen kann, so gewiß man wissen wolle, so gewiß bedürfe man dieser Voraussetzung des Absoluten, in welcher allein das Wissen begründet, und aus welcher allein die Regeln für das Wissen abzuleiten seien."

Ergo in sensu quoque interno deus non absolute praesens est. Nimirum, quum in eo singulus tantum absit ut suam superarit singularitatem, ut vel in eo in absolutam sui singularitatem confugerit. Quamvis singulus certas ad mundum relationes, et in cogitatione et in voluntate positas, superarit, se ipsum et sua quidem singularitate semper reservat. Sensus iste internus nihil aliud est, nisi simplicissima singuli ad se ipsum relatio. At revera ad mundum relationes quoque et in cogitatione et in voluntate positas singulus non superavit. In sensu enim interno singulus a mundanis determinationibus non omnino se liberavit. Quare si ad Deum se effert, nonnisi determinationibus mundanis affectum ad deum se efferre potest. Ex quo duplex quoddam sequitur, alterum, ut, parte pro toto intellecta, in sensum istum internum — quo singulus prorsus suspensum se sentit — totus inclusus sit mundus, alterum, ut singulus nonnisi eam, quam mundanae ejus determinationes ad deum habeant rationem cogitationibus suis percipere possit. Deus, solus per se intellectus, scientiae objectum esse nequit. Scientiae objectum non aliter esse potest, nisi ita, ut proprium scientiae objectum, qui mundus est, simul ad deum referatur. Re-

vera igitur ea scientia, quam religio in se continet, nulla alia est, nisi haec, quam in singulo mundus ad deum relatus de se ipso habeat.

Ex tota igitur nostra expositione sequitur, ut vel in sensu interno deus non absolute praesens sit. Et sane fieri non potest, ut Deus, qui omni forma caret, essentiae suae simplicitate formam ingrediatur eamque determinatam.

Abjecto sensu isto interno, aliam etiam Schleiermacherus dei in singulo praesentiam commemorat. Hanc quoque brevibus in medium proferre nostrum jam est. Dicit *):

„Das Sein der Ideeen in uns ist ein Sein Gottes in uns, nicht inwiefern sie als bestimmte Vorstellungen einen Moment im Bewußtsein erfüllen, sondern inwiefern sie in uns allen auf gleiche Weise das Wesen des Seins ausdrücken, und in ihrer Gewißheit die Identität des Idealen und Realen aussprechen, welche weder in uns als Einzelnen noch in uns als Gattung gesetzt ist. Ebenso ist das Sein des Gewissens in uns ein Sein Gottes, nicht inwiefern es in einzelnen Vorstellungen vorkommt, und so auch irrig sein kann, eben wie auch die Anwendung der Ideeen im Einzelnen irrig sein kann; sondern inwiefern es in der sittlichen Ueberzeugung die Uebereinstimmung unsers Wollens mit den Gesetzen des äußeren Seins, und also eben dieselbe Identität ausspricht."

Haec verba id in se continent, quod verissima ratione singuli ad deum relatio est. Deus si revera omne discrimen omnemque motum a se remotum habet atque excludit, fieri non potest, ut in formam ingrediatur, quae aut conscientia est sive alterius sive nostri, determi-

*) Cf. §. 216. 1. p. 154.

nationibus non vacua, aut talis utriusque negatio, quae certe non omnem superavit conscientiam. Vel minimum conscientiae vestigium et est et manet oppositionis irruentis initium. Conscientia et oppositio notiones sunt inseparabiles. Absoluta tantum conscientiae inopia perfectissima quoque a determinatione et oppositione liberatio est eamque ob causam verissima dei in homine praesentia. Haec conscientiae determinationisque inopia sensus internus est e sua veritate intellectus. Hic sensus internus ab eo, quem modo exposuimus, eo differt, quod conscientia eum non antegreditur, imo potius ipse ejus sola est potentia.

At hic quoque, uti a nobis dictus est, sensus internus non absoluta dei in homine praesentia est. Dicit enim Schleiermacherus *):

„Das Sein der Ideeen, als reiner Principien, wovon das Bewußtsein ausgeht, gleichgesetzt mit dem Principe des Wollens, ist eine Represention des Höchsten, aber auch nur eine Represen- tation des Höchsten, nicht das Höchste selbst.“

Causa inde repetenda est, quod haec quoque, quam dicit, repraesentatio ab oppositione non vacua est. Quamquam oppositionem non inhaerentem sibi, verumtamen ita habet, ut ad aliud ipsa spectet. Haec enim repraesentatio quum mera idearum sit potentia, idearum veritati est opposita, vel notio mera et sola sua potentia existens rebus ipsis obstat **).

---

*) Cf. p. 157. *

**) Cf. p. 156. 4.

THESES.

1. Philosophiam protestanticam inde a Cartesio incipiendam esse.

2. Schleiermacherum oppositionis notionem falso intellexisse.

3. Philosophia religionis christianae non mera ipsius interpretatio est.

4. In philosophia demonstratione mathematica nihil demonstrari.

5. Essentiam puram non nostram, sed ideae esse abstractionem.

6. Notionem et existentiam Dei in unum cadere.

7. Pantheismum et Theismum, alterum sine altero intellectum, veritate carere.

8. Ideam rei publicae Platonis rei publicae Lacedaemoniorum respondere.

